

ARTICULUS II.

DE PRIMITIIS DECIMIS AC VOTIS

Primitiarum ac decimarum oblatio in honorem Dei, ipsa natura dictante, apud veteres populos in usu erat. Apud Hebraeos autem haec lege determinata ac praescripta fuerunt, et sub generico nomine *oblationum* designari possunt.

I. *Primitiae* dicuntur primi fructus vel prima oblatio novorum fructuum Deo facta. Porro Hebraei Deo offerre debebant 1° Primogenita animalium, imo et hominum primogenitos (Num. XVIII, 15-18, Lev. XXVII, 26-29). Ad homines quod attinet primogeniti masculini sexus Deo offerendi erant, quod plerumque in purificatione matris, exacto die quadagesimo, fiebat, qui tamen statim redimebantur oblato sacerdotibus pretio, quod quinque siclos excedere non poterat (Ex. XIII, 2, 13). Primogenita boum, caprarum et ovium in sacrificium offerenda erant ab octavo die usque ad annum aetatis, et ex eis praefinitae partes cremabantur, reliquae vero sacerdotibus cedebant. Aliorum vero animalium primogenita vel pretio redimenda erant, vel agno aut ove permutanda, vel occidenda. 2° Primus hordei manipulus altero die paschatis, et primi panes die Pentecoste offerendi nomine populi, ut supra vidimus. 3° Primitiae uvae, fructuum arborum, cerealium, mellis et vellerum a singulis Iudaeis offerendae erant. Omnes hae primitiae in manibus Sacerdotum solvebantur, sive in Templo, ut plerique existimant, sive, ut multi volunt, ubicumque sacerdotes occurrerent, cum rationem sacrificii non haberent.

II. *Decimae*, seu decima pars fructuum ab Hebraeis solvendae erant ad ministrorum sustentationem, et divini cultus conservationem (Lev. XXVII, 30 seqq. Num. XVIII, 28-30): simul tamen ut oblationes sacrae habendae sunt, quia in Dei honorem offerebantur, ut expresse dicitur loc. cit. Decimae Levitis tradendae erant, quibus ipse Deus decimas assignaverat loco possessionum quae aliis tribubus fuerant concessae (Num. XIV, 29). Ex his vero Levitae rursus decimam partem Sacerdotibus tradere debebant. Res autem decimandae erant tum fructus arborum, ac terrae fruges, tum domestica animalia, scilicet boves, et caprae. Porro haec ita

decimari debebant: singula ante pastorem transire per ordinem cogebantur, qui decimum quodque caput virga tangebatur, quod illico in decimam Domino separandum erat, sive bonum sive malum esset, nec cum alio commutari poterat, secus utrumque Levitis cedebat (Num. XXVII, 32-33). Decimae fructuum ac frugum redimi poterant, soluto nempe pretio et quinta pretii parte addita (ib. 31) (1).

III. *Vota* נְדָרִים נְדָרָה dicebantur ea quae praeter legis praescriptum Deo promittebantur. Poterant autem voveri vel personae, vel animalia, aut res inanimatae, aut actiones quaedam sive ponendae, sive omittendae. Generatim vero res ita consecratae pretio redimi poterant, exceptis tamen animalibus sacrificio idoneis, quae omnino mactanda erant, et iis rebus quae devotae fuerant per *Therem* seu *anathema*. Si quis se ipsum, vel alium voto vovisset Tabernaculi aut templi servitio mancipatus erat donec redimeretur. De voto Nazaraeorum superius diximus.

His addi possent preces publicae, et generatim alii *sacri ritus* legis Mosaicae. Sed quoniam haec maxima ex parte indicata fuerunt ubi de sacrificiis, vel de locis sacris tractavimus, alia vero, ut ex. gr. circumcisio, omnibus nota sint, de his speciatim agere praetermittimus.

SECTIO III.

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS (2).

Breviter dicemus 1° de republica hebraeorum eiusque indole generatim, ubi de regibus, eorum ministris, et de aliis magistratibus, 2° de iudiciis ac de iure poenali, 3° de re militari hebraeorum, 4° de monetis, ponderibus ac mensuris, quae cum sociali populorum vita intime connectuntur.

(1) Decimarum solutio haud primo per legem Moysi inducta est: antea enim sub lege naturae videmus Abraham decimam de praeda Melchisedechi sacerdoti obtulisse (Gen. XIV, 20), et Iacob Decimas omnium proventuum suorum Deo vovisse, Gen. XXVIII, 22, idque eius quoque posteros servasse Gen. XXXV, 1-16. Quin imo et apud ethnicos hoc in more positum fuisse tradunt Herodotus hist. lib. I, cap. 5 et 77 et Diodorus Sic. lib. XX, cap. 14.

(2) Cf. imprimis Io. Menochium: *De republica Hebraeorum*.

Vol. III. Introductio Exegetica.

CAPUT I.

DE HEBRAEORUM REPUBLICA

Hebraeorum reipublicae hoc proprium et peculiare fuit, quod ab ipso Deo immediate regeretur, quod vulgo *Theocratia*, seu regimen theocraticum vocari solet. Scilicet Deus ipse gentem Hebraeorum sibi elegerat in haereditatem, portionem ac peculium, ipse tamquam regem Hebraeorum sese exhibuit cuius veluti regia domus fuit primum Tabernaculum, deinceps Templum, cuius ministri essent sacerdotes ac levitae qui eius nomine decimas a subditis perciperent, ac denique leges tradidit per Moysen, non modo sacras ac religiosas, sed etiam politicas ac iudiciales quibus tota Hebraeorum agendi ratio etiam in civilibus ac temporalibus negotiis regeretur, ita ut magistratus Hebraeorum potius quam legislatores dicendi essent executores ac custodes seu vindices legislationis divinae. Haec porro theocratica regiminis forma solemniter pacto proposita et acceptata fuit in promulgatione legis quando per Moysen totus populus solemniter iuramento Deo regi obedientiam promisit (Ex. XXI, 24 Deut. XXVII, 30).

Hinc etiam fiebat ut populus Hebraeorum a ceteris gentibus plus minus seiunctus ac separatus viveret, ad quam separationem tendebant ipsa Legis mosaicae instituta ac ritus; quinimo expresso Dei iussu vetitum erat cum plerisque finitimis gentibus vel foedus inire, ut cum Chanaanais, Philistaeis, Amalecitis, Moabitis et Ammonitis (Ex. XXIII, 32 seqq. Deut. VII, 1-11, XX, 1-18, XXV, 17. Iud. VI, 3-5 etc). Cum aliis vero populis foedus inire non vetabatur: quare videmus David et Salomonem cum regibus Phoenicis foedus inisse, et Machabaeos cum Romanis et Spartanis: si quando autem Prophetae reprehenderunt foedera cum Assyriis vel Aegyptiis (Is. VII, XXVI, 37 Os. V, 8 VII, 11 XII, 4 seqq.) hoc non fecerunt quasi ea foedera lege prohiberentur, sed quia in illis adiunctis argumentum erant diffidentiae erga Deum sui populi custodem ac vindicem.

ARTICULUS I.

DE VARIA REGIMINIS FORMA APUD HEBRAEOS

I. *Regimen patriarchale.* Postquam Abraham primus Hebraeorum pater ex Chaldaeae egressus in terram sibi a Deo promissam migrasset ibidem sedem fixit, et numerosa familia auctus est. Quamvis autem inter Chanaanicos tamquam vir potens, et princeps nobilissimus haberetur (Gen. XXIII, 6), pastorem tamen vitam nunquam reliquit, quod etiam eius posteris usque ad Moysen servarunt. Patriarchae itaque supremum quidem regimen in totam familiam, quae decursu temporis in tribum excreverat, gerebant, sed illud paternum potius quam politicum erat in posterorum reverentia, virtutis amore, et summa morum simplicitate fundatum. Hoc est quod dici solet *regimen patriarchale*. Multiplicatis familiis, singulae quidem suum caput habebant, qui *seniores*, vel *principes populi* dicebantur, simul tamen communem quemdam rectorem agnoscebant, cui omnes suberant, uti innuitur Num. I. 16, III, 24, XXX, 35. Hanc regiminis formam Hebraei retinuerunt etiam in Aegypto, ubi licet in ingentem populum excrevissent, et Pharaoni subiecti essent, ab Aegyptiis tamen separati in terra Gessen suis moribus vivere permittentur Ex. III, 16, V, 1, 14, XV, 19 (1).

II. *Regiminis forma sub Moyse ac Iudicibus.*

Moyses a Deo electus ut populum ex Aegypto ereptum in terram promissam induceret supremum regimen assumpsit, quod quidem a patriarchali diversum erat: Moyses enim tamquam Dei legatus potestatem etiam legislativam, et omnino absolutam accepit, iudex supremus populi, et belli quoque dux factus est. Cum autem non posset ipse unus totius multitudinis causas cognoscere, lites dirimere, et sententias poenas irrogare, socer eius Iethro sacerdos Madian sapiens ei consilium dedit, ut, gravius causis sibi reservatis, ceteris iudices de populo electos praeficeret: quod et fecit, electis de cuncto Israel viris probis ac prudentibus, quos < con-

(1) Patriarchale vitae genus in quibusdam Orientis partibus, imprimis Syriae, Palaestinae et Arabiae adhuc viget: eiusque consideratio biblicae narrationes apprime illustrat et confirmat.

stituit *principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos*, qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes » (Ex. XVIII, 13–20). Ex his porro Deus postea elegit septuaginta viros, quos Moysis spiritu donatos illi adiutores dedit in generali reipublicae administratione (Num. XI, 26). Hoc igitur sub Moyse regimen Hebraeorum fuit. Sub Iosue fere eadem regiminis forma mansit: occupata tamen ac distributa terra Chanaan, Iosue per singulas civitates magistratus ac iudices constituit (Ios. XX, 4–6, idque secundum Moysi iussum Deut. XVI, 18 seqq.). Idem plus minus regimen mansit in epocha Iudicum, qui populi duces ac defensores fuerunt, legisque Moysi custodes, sub quibus minores iudices, principes populi, ac magistratus multitudinem regebant (Vide dicta in Introd. crit. Par. I Sec. II, Cap. II Art. D). Quod quidem regimen nec Patriarchale tantum erat, nec monarchicum, sed ex utroque quasi temperatum (Iud. XXI, 24). Iudicia prope portam civitatis agebantur, ut passim Scriptura testatur (Ios. XX, 4, Ruth. IV, 4 seqq. etc.).

III. *Forma gubernii sub Regibus.*

Notum est sub Iudicatura Samuelis Iudaeos regem sibi postulasse ad modum aliarum gentium (1 Reg. VIII, 5 seqq.), quod olim Moyses praeviderat, ac praedixerat (Deut. XVII, 14). Cum autem Samuel frustra tentasset ab huiusmodi consilio eos avertere, iis non audientibus, consulto Domino, eis Saulem regem constituit, et sacro oleo inunxit. Exinde usque ad captivitatem babilonicam Hebraeorum regimen monarchicum fuit, quin tamen desineret esse Theocraticum. Ius enim regum a lege Moysi pendebat, nec quidquam ex divino codice immutare etiam in rebus politicis poterat. Praeterea nulla in res sacras potestas regibus inerat, et ubi ipsi suo officio deerant a Prophetis severe reprehendi solebant, ut legimus in Saule, Davide, Achaz, Manasse et aliis, saepe etiam divinitus immixtis flagellis puniebantur, ut modo memoratis regibus, itemque Oziae et aliis accidit. Reges ad reipublicae administrationem iudicibus ac magistratibus utebantur per varias urbes constitutas, plus minus ut in epocha praecedente. Regia tamen dignitas secundum plura alia officia, aliosque plures regios ministros vel aulicos, quorum praecipui erant sequentes. 1° *Magister vel prae-*

fectus palatii regis (2 Paral. XIX, 41, Is. XXII, 15, 21, 22). 2° *Maschir פִּנְיָר* cuius officium erat vel gesta regum in annales referre, ut nomen significare videtur, vel consilia praebere, ut putat Calmet, vel utrumque simul: forte idem erat ac officium *magni Cancellarii* in aulis regum occidentalium. 3° *Secretarii* seu *notarii סִפְרִים* ad quos pertinebat regum edicta vel epistolas scribere, reddituum, ac expensarum rationem habere, imo etiam militum, ducum exercitus etc. Horum officium latius patebat, et saltem primus inter eos nobilitate et potestate maxima pollebat (4 Reg. XXV, 19, Is. XXXIII, 18, Ier. XXXVI, 12). Distinguendi apprimè sunt isti sopherim regii, a Sopherim seu *scribis* qui Legis studium et scientiam profitebantur tamquam gentis doctores et iurisprudenti; de quibus frequentior est mentio in posterioribus V. T. Libris, et in Evangeliiis. 4° *Scioterim* שִׁוְרִים, qui in Vulgata *magistri* vocantur (Deut. XVI, 18, XVII, 8–12) qui olim officium habebant scribendi et servandi genealogias, deinceps vero sub Regibus etiam praecorum, apparitorum, aut ministrorum iustitiae officio fungebantur. 5° *Consiliarius regis* (יֹעֵץ): Reges Persarum septem consiliarios habuisse legimus (1 Esdr. VII, 14, Esth. I, 14, 19, Dan. VI, 8, 13). 6° *Praefecti* super redditus, et tributa. 7° *Praefecti curruum et equorum* (3 Reg. IX, 22). 8° *Eunuchi*, qui plerumque extranei erant, sed saepe magnam potestatem in aula regum adipiscebantur (4 Reg. XXV, 19, Is. XXXIX, 7). Praeterea exercitus duces, excubiae militares et alii de quibus in cap. III. dicemus.

IV. *Forma regiminis post regni Iuda eversionem.*

Iudaei in Babiloniam asportati ibi regibus Babiloniae servire coacti sunt, quod tamen non ita intelligendum est quasi mancipia Chaldaeorum evaserint: contrarium enim ex Scriptura apparet, ubi videmus Daniele in aula Regum potentem fuisse, et tres eius socios provinciis a Rege praefectos (Dan. II, 48, 49): constat etiam Iudaeos plus minus suis moribus vixisse, et iudices etiam causarum habuisse, ut apparet ex historia Susannae. Nihilominus tamen dura fuit eorum conditio, quatenus autonomia carebant, et a patria abesse cogebantur, quod etiam regularem Legis Moysi observantiam, utpote quae Ierosolymae et templo adnexa erat, impediabat.

Iudaeis in patriam reversis concessum non est suos reges habere;

nihilominus tamen quaedam eis autonomia a regibus Persarum relicta fuit, ita ut sub alta eorumdem regum dominatione permitterentur legem Moysi observare, et summis Sacerdotibus parere, non in sacris modo, sed etiam in rebus civilibus, ut ex libris Esdrae, Nehemiae, Paralipomenon ac Iudith luculenter apparet. Quare hoc regimen a multis vocatur regimen *Pontificum*. Post Persarum dominationem Iudaei inciderunt in dominationem Graecorum, a quibus aliquando fere in servitutem redacti sunt. Post Machabaeorum praelia tandem plenam autonomiam recuperarunt, et suos reges iterum habuerunt Iohannem Hircanum, et eius posteros, qui simul etiam summi Sacerdotes erant. Attamen post breve tempus Romani potestatem in Iudaeos adepti sunt, qui quidem aliquando regem illis dabant, aut principes, non tamen omnino a Caesare independentes, aliquando Iudaeam in provinciam redactam per suos praesides vel procuratores administrabant. In hac postrema politica conditione Evangelium praedicatum, et Christi Ecclesia fundata est. Tunc temporis non omnis potestas a Iudaeis sublata erat, habebant enim summos Pontifices, et tribunalia, imprimis Synedrium supremum tribunal, ubi causae secundum Legem Moysi cognosci ac dirimi poterant, poenales etiam sententiae non modo ferri, sed etiam executioni mandari, exceptis tamen capitalibus (Matth. XXVI, 39, Mar. XIV, 64 seqq., Act. IV, 5 seqq., V, 17-18, 40 seqq., IX, 2, Io. XVIII, 34). Ad quem finem militum custodia illis concedebatur (Matt. XXXVII, 65), et tributum a populo exigere poterant ad templi usum. Ceterum tum reges a Romanis electi, tum procuratores Romani Legis Moysi observantiam non solum non impedire, sed potius fovere, saepe etiam affectare satagebant.

CAPUT II.

DE POTESTATE IUDICIARIA ET COACTIVA

Breviter dicemus primo de ipsis iudicibus et variis Tribunalibus Hebraeorum, tum vero de iudiciis eorumque forma, demum de delictis ac poenis.

ARTICULUS I.

DE IUDICIBUS AC TRIBUNALIBUS HEBRAEORUM

I. Magistratus ac iudices ex populo eligendi erant, qui morum probitate, amore iustitiae, atque animi integritate absque partium studio, aut personarum acceptione causas dirimere possent (Ex. XVIII, 21-23, Lev. XIX, 13, Deut. XVI, 18, 19, XVII, 19, 25). Illud autem iudicibus persuasum esse debebat se nihil contra vel praeter Legem definire posse, omnia enim quae ad iudicia et poenas pertinent per legem statuta erant. Quare eorum iudicium *Dei iudicium* vocabatur Deut. I, 17, 2 Par. XIX, 6.

II. Porro iudices inferiores a superioribus distinguendi sunt. Initio quidem iudices a Moysae constituti minores causas dirimebant, maiores vero ad ipsum Moysen deferre debebant, cui quidem septuaginta consultores seu assessores dati sunt, ut supra vidimus. Hoc itaque tunc temporis supremum tribunal constituebat. Deinceps, vero cessante illorum seniorum extraordinaria potestate, suprema potestas ordinaria quidem penes caput reipublicae, vel eius loco apud summum Pontificem residebat, extraordinaria vero in comitiis generalibus, quae in gravissimis quibusdam circumstantiis tubarum clangore convocabantur durante peregrinatione per desertum, deinceps vero per nuncios indicabantur (Num. X, 24, Ios. XXIV, 4, Iud. XX, 4, XXVII, 28, 1 Reg. X, 17, XI, 14 seqq.). Demum regia potestate instituta, ad ipsum regem suprema potestas devoluta est, qui tamen in nonnullis maioribus causis ex summi Pontificis consulto sententiam ferre debebat.

III. Tribunalia recentiori aetate post reditum ex captivitate Babylonica triplicis ordinis fuerunt, secundum Iudaeorum traditionem, scilicet infimum, medium et supremum. Infimum tribus iudicibus constabat, et in pagis exiguisque Hebraeorum communitatibus iudicia agebat; medium erat consessus viginti trium iudicum pro maioribus civitatibus, qui a nonnullis *synedrium parvum* vocatur. Primum ex hisce tribunalibus nonnisi leviores causas cognoscere poterat, nec poenas irrogare ultra flagellationem, et multas leviores: alterum vero causas etiam graviore dirimere, et poenam capitalem infligere. Supremum vero tribunal Ierosolymae

institutum erat *magnum Synedrium*, hebr. סנהדרין *Sanhedrin*, quod quidem nonnisi in extrema aetate Machabaeorum institutum fuisse alias vidimus, quidquid dicant Rabbinii qui eius antiquitatem exaggerantes originem habuisse putant ab illo seniorum consensu quem Moyses Dei iussu constituisse dicitur (Ex. XVIII, 13-26). Synedrium hoc magnum iudicibus 71 constabat ut docent Talmudistae in Tract. *Sanhedrin*, quorum unus praeses erat et vocabatur חננסיא *Hannasi*: qua dignitate plerumque ipse summus Pontifex fungi solebat: huic assidebant ad dexteram et ad sinistram alii duo, quorum alter dicebatur אבי בית דין seu *pater domus iudicii*, alter vero חכם *Hahhacham* seu *sapiens*. Alii iudices synedrii ordines complectebantur, nempe 1° *Principes Sacerdotum*, ἀρχιερείς, quibus, uti videtur, de iure hoc officium competebat: 2° *Seniores*, πρεσβύτεροι, seu capita tribuum et familiarum; 3° *Scribae γραμματεῖς*, seu legis periti, qui tamen, quemadmodum et seniores, non omnes, neque ipso iure, sed per electionem in synedrium admittebantur. Sedebant autem ordine ad dexteram et ad sinistram sedis *Hannasi* per semicirculum, ut refert Maimonides, et tempore Herodis magni in magnifica aula *Gazith* dicta conventus suos tenebant prope Templum. De hoc Synedrio pluries in N. T. sermo fit nomine *Concilii*, in quo et Christus Dominus iudicatus ac damnatus fuit, et Apostoli reprehensi ac flagellis caesi sunt (Math. XXVII, 1, Mar. XV, 1, Act. IV, 5 seqq. 15 seqq. V, 21, 41, VI, 12 seqq.). Ad hoc etiam supremum tribunal, et ad illud inferius 23 iudicum respiciebat Christus notis illis verbis Math. V, 22: « Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit *iudicio* (tribun. infer.): qui autem dixerit fratri suo *raca*, reus erit *concilio* (synedrio): qui autem dixerit *fatue*, reus erit gehennae ignis ». Potestas Synedrii initio quidem absoluta erat ac independens, causasque omnes etiam capitales dirimere poterat, imo nonnullae ipsi reservatae erant, ut de crimine apostasiae totius urbis vel tribus, de simulata prophetia, de bello voluntarie indicendo, et aliae a Rabbiniis enumeratae: ad illud etiam pertinebat secundum Talmudistas approbare missionem Prophetarum, demum etiam capitalem poenam decernere et executioni mandare. Verum Romani in nonnullis limitarunt synedrii iura, imprimis circa causas capitales, in quibus cognitio quidem causae

et sententiae prolatio in criminibus contra legem Moysi ad illud tribunal spectabat, executio vero romanis procuratoribus reservata fuerat, ut ipsi Hebraei fassi sunt Io. XVIII, 31, et Talmudistae Tract. *Sanhedrin* fol. 24. Si quae exempla contrarium innuere videntur, aliter tamen explicari debent: ita lapidatio Stephani Act. VII, 57-59 non per regularem synedrii sententiam, sed tumultuarie peracta est, item Iacobus frater Iohannis sententia Herodis Agrippae morti damnatus est, et alter Iacobus ex templi pinaculo praecipitatus et lapidibus obrutus fuit arbitrio summi Pontificis, absente Romano Praeside, et contra populi votum, ut narrat Iosephus Antiq. XX, cap. 8.

Concilia seu tribunalia synagogarum memorata Io. XVI, 2, 2 Cor. X, 24, aliud fuisse non videntur quam superius indicata tribunalia 23 iudicum, quae poenam infligere poterant flagellationis, non tamen ultra 39 ictus, ut in altero ex citatis legitur.

ARTICULUS II.

DE IUDICIIS EORUMQUE FORMA

I. Prisca iudiciorum forma apud Hebraeos non minus ac apud alias gentes summaria fuisse videtur, excepta Aegypto, ubi scripto res agebatur inter actorem et reum antequam iudex sententiam ferret, ut narrat Diodorus Siculus Bibliot. Lib. I: Deinceps Moyses formam quidem summariam non abstulit, simul tamen legibus, et cautionibus quibusdam iudiciorum aequitati consuluit. Et primo quidem iudicibus vehementer inculcavit ne partium studio, aut munerum acceptatione corrumpi se permitterent (Ex. XIII, 2-9, Lev. XIX, 15, Deut. XVI, 18-20); item cavet ne poenae, saltem graviores et capitales, cuiquam debita ad parentes aut filios innoxios extenderentur, secus ac apud ethnicos passim in usu erat (Ex. XXIII, 7, Deut. XXIV, 16). Processus autem iudiciorum erat sequens. 1° Actor et reus coram iudice, vel iudicibus apparebant, qui stragulo super pavimento expanso insidebant, seu accubabant: iudici adstabat notarius, qui tum sententiam, tum acta forte cum causa connexa, puta formulas promissorias, vel instrumenta contractuum, scripto mandabat (Is. X, 1-2, Ier. XXXII, 1-14, Ps.

CXLIX. 8, 9). In Synedrio, si fides est Talmudistis, duo notarii assidebant praesidi, alter ad dexteram, qui sententiam absolutoriam, alter ad sinistram qui sententiam damnationis scriberet. 2° Reus ad sinistram actoris vel accusatoris stabat, ad quod aludere videtur Psalmista in Ps. CVIII, 6-7. 3° Ad testes quod attinet, duo saltem, vel tres, et quidem iurati a lege requiruntur iuxta notum illud Deut. XIX, 15: « Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum: » quod si testis de falso testimonio convinceretur, poenam talionis irremissibiliter incurrebat (ib. 16-21). Ad testimonium autem dandum in delictis capitalibus non admittebantur mulieres, aut servi, nec etiam propinqui. 4° In quibusdam casibus secundum Talmudistas sententiam et exequutio summaria locum habere poterat absque testibus et iudice, ut cum quis deprehensus fuisset in flagranti furto sacrilego, blasphemia idololatrica, et in in aliis quibusdam casibus: vocabantur haec *iudicia zeli*, quorum exempla etiam in Scripturis inveniuntur Num. XXV, 18, 1 Mach. II, 23 seqq. 5° Demum in difficilioribus quibusdam casibus per sortem iudicia agebantur, ut innui videtur Prov. XVIII, 18: sine dubio autem saepe causa dirimebatur a summo Sacerdote per *Urim* et *Tummim* quasi per sortes sacras. 6° Postremo notandum est sententiam post causae cognitionem prolatam, sine mora executioni mandatam fuisse etiam cum de capite ageretur (Ios. VII, 22 seqq., 1. Reg. XXII, 18, 3 Reg. II, 23). Unde etiam fiebat ut carcerum rarus esset usus, et rara quoque in Scripturis mentio, saltem antiquioribus aetatibus: nam post epocham captivitatis Iudaei Persarum, Graecorum, et Romanorum moribus in hac re non parum accesserunt.

II. Ad locum et tempus iudiciorum quod attinet haec notanda sunt. Iudicia generatim iuxta portam urbis agebantur, ut in Scripturis passim indicatur, (Gen. XXIII, 10 seqq. Deut. XXI, 19, Ios. XX, 4, Ruth. IV, 1 seqq., Ps. CXXVI, 3, Prov. XXII, 22 etc.) idque etiam post captivitatem in usu fuisse innuitur Zach. VIII, 16. Huius rei ratio fuisse videtur ut publicitate loci iudiciorum aequitati consuleretur; ad portas enim urbium nundinae fieri, ibique etiam populi conventus haberi, et turba hominum passim congregari solebant. Tempus autem iudicis habendis destinatum mane

fuisse colligitur ex Ps. C. 8, Eccl. X, 16, Ier. XXI, 12. Secundum Talmudistas in Tract. *Sanhedrin* iudicia vetita erant Sabbatis, celestisque diebus festis: quod tamen in Lege non innuitur, et vix probabile videtur. Idem dicunt in minoribus quidem causis sententiam ferri et exequutioni mandari debuisse uno eodemque die, in causa vero capitali noctu iudicium suspendendum fuisse, et sententiae exequutionem in diem sequentem differendam: hoc tamen in causa Iesu Christi servatum non fuisse ex Evangelio apparet (Math. XXVI, 57, Io. XVIII, 13-18).

ARTICULUS III.

DE DELICTIS AC POENIS

Summatim dicemus primum de delictis, poenisque capitalibus, deinde de poenis corporalibus minoribus, postremo de aliis diversi generis poenis pro variis criminibus assignatis.

§. I. De criminibus, poenisque capitalibus.

Apud Hebraeos non solum ea delicta quae suapte natura et communi populorum consensu fere capitalia habentur, ut homicidium, seditio, adulterium etc. morte plectebantur, sed etiam delicta contra religionem, ut dolosa violatio sabbati, blasphemia, idololatria et ad eam incitatio (Ex. XXXV, 2, Lev. XX, 2, XXIV, 14-16, Num. XV, 32-36, Deut. XIII, 6-10 etc.) quae quidem iuxta reipublicae theocraticam constitutionem superius explicatam erant vera delicta perduellionis, ac laesae, ut dicitur, maiestatis. Capitale autem supplicium inferebantur sequentibus modis: per lapidationem, per ignem, per gladium, per suspensionem seu strangulationem, vel per crucifixionem: praeterea alia quoque supplicii genera aliquando in Scripturis occurrunt vel ab extraneis inducta, vel praeter morem et legis praescriptum inflata, ut nihil dicamus de iis quae aliquando a Deo immediate immittebantur.

1° *Lapidatio*. Lex poenam lapidationis irrogabat pro gravioribus contra religionem criminibus, ut in locis paulo ante citatis: praeterea hoc supplicio puniebatur adulterium, saltem in casu viri abutentis puella alteri desponsata, quae intra portas civitatis corrumperet se permisisset, quo in casu tum vir tum mulier lapidandi

erant Deut. XXII, 23, 24, quod tamen decursu temporis ad omnes adulteros extensum fuisse apparet ex lo. VIII, 2-3, pro quibus tamen in Lege (Deut. XXII, 22, Lev. XX, 40) genus mortis non determinatur, sed tantum dicitur: *morte moriantur*. Modus exequendi lapidationem a Moyse praescriptus non est: tantum praecipitur ut testes primi lapides iniiciant, deinde vero reliqui de populo (Deut. XIII, 9, XVII, 7). Rabbinii vero modum subtilius describunt in Talmude Tract. *Sanhedrin* cap. VI. Probabilius videtur ubicumque genus mortis in Lege non definitur intelligendam esse lapidationem, ut in citato loco Iohannis innuitur, cui consonat testimonium Ezech. XXXI, 14, XXXV, 2 coll. cum Num. XV, 35 seqq.

2° *Poenae ignis* numeratur inter supplicia in Mosaica legislatione Lev. XX, 14 ubi praecipitur contra eos qui matrem uxoris suae sibi matrimonium copularent. Eidem poenae addebatur filia sacerdotis in fornicationem lapsa ib. XXI, 9.

3° *Gladius*. Gentes Chananaeorum Dei iussu delendae fuerunt in ore gladii: praeterea ob quaedam crimina, et in summaris iudiciis aliquando reus gladio perimebatur, sive id per decollationem fieret, ut in casu Iohannis Baptistae Math. XXIV, 8-12, et Iacobi Maioris Act. XII, 2, sive per transfixionem, aut qualibet alia ratione, ut in antiquioribus exemplis Iud. VIII, 21, 1 Reg. XXII, 18, 2 Reg. I, 43, IV, 8, XX, 14 etc.

4° *Strangulatio* secundum Rabbinos Talmudistas intelligenda est ubicumque lex speciem supplicii non determinat (Tract. *Sanhedrin* X, 3): attamen de ea in Scriptura nunquam fit mentio nisi fortasse 3 Reg. XX, 31. Coeterum probabilius est, ut modo vidimus, in casibus supradictis poenam lapidationis intelligendam esse.

5° *Crucifixio*. Supplicium crucis commune fuit omnibus populis Iudaeis finitimis, et etiam Romanis, qui eam poenam servis facinorosis, latronibus et seditiosis decernebant, idemque supplicium seditiosis nomine Christo irrogarunt Luc. XXII, 1-3, 13-15: utrum vero in lege Moysi crucifixio aliquando praecipitur certo non liquet. Iubetur quidem Deut. XXI, 22 seqq. reos quosdam *appendi in patibulo*, et ut eorum cadavera deponantur ac sepeliantur eadem die: « *quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno;* » attamen disputari solet an hic agatur de crucifixis, an vero de suspensis per laqueum, an etiam de cadaveribus post mortem lapidatione infli-

etam in arbore suspensis. Quae afferri solent pro vera crucifixione ex Ps. XXI, 17, Zach. XII, 10, cum prophetica sint, et ad Christi mortem referantur, minime probant crucifixionem tunc Iudaeis usitatum fuisse. Quidquid sit de hac quaestione, certum est posteriori aetate Iudaeos sive a Persis, sive a Romanis morem crucifigendi reos recepisse: Iosephus Flavius Antiq. XIII, 22 narrat Alexandrum Iannaeum regem Iudaeorum octingentos perduelles in crucem egisse; et ipsae metaphoricae loquutiones in N. T. frequentes, quibus tribulationes vitae *crux* vocantur, et mortificatio carnis *crucifixio* dicitur (Math. X, 38, XVI, 24, Gal. V, 24, VI, 14) ostendunt huius supplicii imaginem Hebraeis familiarem fuisse. Ad modum quod attinet sufficiat hic pauca exponere de crucifixione apud Romanos usitata, quam Iudaei imitati sunt.

Crux duplici stipite constabat, altero perpendiculari, altero transverso, in formam literae T, ita tamen ut stipes perpendicularis aliquantum sursus emereret, ubi titulus gerens scriptam supplicii causam affigebatur. Existimant nonnulli in inferiori parte supplicii truncum affixum fuisse, cui pedes crucifixi inniterentur; attamen de hoc silent antiqui scriptores, qui potius memorant clavum ex medio fere stipite eminentem, cui cruciarii insidebant, seu veluti aequitabat ne corporis pondus manus discinderet. Damnatus cruci antea flagris caedebatur, saepe immaniter, et cum multa sanguinis effusione, alligatis manibus humili stipiti, vel cippo, ut dorsum ad vulnera pateret, tum vero crucem ad locum supplicii ferre cogebatur (1). Ibi erecta cruce, et terrae firmiter infixae, reus vestibus omnino exutus (quae carnificibus, vel militibus cedere solebant) attollebatur in crucem usque ad locum praedicti clavi, cui inniti debebat, mox vero expansis brachiis utraque manus clavis configebatur, deinde pedes, duplici, an uno clavo ambigitur, sed probabilius videtur singulos pedes distinctis clavis transfixos fuisse (2). Ita in cruce suspensus vitam inter atrociam tormen-

(1) Coronam spineam imponere ante crucifixionem consuetudo Romanorum nunquam fuit; quod si in passione Christi locum habuit id unice reputandum est ex petulantia militum Christo Domino illudere volentium, quem sciebant morti damnatum esse quasi regnum in Iudaeos affectasset.

(2) Solebant autem vinum mirrhatum cruciariis ante supplicium praebere ut inebriati dolores minus sentirent: hoc etiam Christo Domino oblatum

ta (1) trahebatur saepe in tertium diem et ultra, vigilantibus interim militibus, qui post eius mortem demum recedebant, relicto in cruce cadavere donec putresceret, vel a feris voraretur. Iudaeis tamen, ob legem Deut. XXI, 22 Romani indulgebant, ut eadem die crucifixorum corpora deponerent, atque ideo ad accelerandam mortem vel eis crura suffringebant, vel excitato fumo suffocabant, vel lancea confodiebant, quorum primum duobus latronibus cum Christo Domino crucifixis factum est (Io. XIX, 32), postremum ipsi Christo, quia, licet mortuus videretur, certiores tamen de eius morte fieri voluerunt (ib. 34) praesertim cum ea celerius ac praeter expectationem evenisset, ut innuitur in admiratione praesidis Mar. XV, 44.

6° *Homicidii poena.* Si quis hominem occidisset morte mulctandus erat, et quidem ius dabatur proximiori cognato occidendi, seu ingulandi occisorem « *statim ut invenerit eum.* » Num. XXXV, 19, 20, 21, idque non modo ius, sed officium eiusdem cognati reputabatur, qui idcirco *ultor sanguinis* vocari solebat (Ios. XX, 3, 5). Ad abusus vero praecavendos, et tutandos eos qui absque dolo forte aliquem occidissent, Moyses praeeperat assignari sex civitates refugii, tres cis, et tres trans Iordanem, ad quas occisor confugere poterat, et si ibi iudicibus se ostendisset, et innocens iudicatus fuisset (ib. 12, 24), interfici non poterat dummodo ex urbe refugii non egrederetur usque ad mortem summi Pontificis (ib. 26-28, 32); hoc enim mortuo cessabat omne ius vindictae in cognatis, et profugus in urbem suam reverti poterat (ib. 28). Si vero homicida dolosus in praedictas urbes perfugium quaesivisset, re comperta, expellendus erat, et in manus cognatorum defuncti tradendus (Deut. XIX, 11-13). Ita simul consultum erat et veri criminis punitioni, et innocentium incolumitati, qui tamen hoc voluntarium exilium

fuisse legitimus Matt. XXVII, 24, Mar. XV, 23, nec est confundendum cum alio potu aecti qui postea ei a milite oblatus est in Cruce (Mat. XXVII, 48, Mar. XV, 36).

(1) Tullius in Act. VI contra Verrem lib. V, c. 64 loquens de quodam Gaudio a Verre in cruce acti, quamvis Civem Romanum se esse diceret, crucem appellat *crudelissimum teterrimumque supplicium*; in c. 66 addit: « *Facinus est vincere civem Romanum, scelus verberare, prope paricidium necare: quid dicam in cruce tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* »

subire debebant, quo magis magisque homines cauti reddebantur ne alterius vitam laederent. Huc etiam pertinebat lex lata pro homicidio occulto: scilicet invento in agro cadavere hominis occisi, si homicida reperiri non posset, seniores urbis proximioris egredi debebant adducentes vitam, eaque mactata, manus lavare coram sacerdotibus dicentes: « *Manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt (fundi): propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis.* » (Deut. XXI, 1-9).

§. II. *De poenis corporalibus minoribus.*

Praecipuae erant: Fustigatio, et flagellatio, carcer cum catenis, multa, sacrificium pro peccato, demum poena talionis.

1° *Fustigatio* pro levioribus criminibus praescribitur in Legge. Reus in terram prosternebatur, et virga vel baculo vapulabat, non tamen ultra 40 ictus (Lev. XIX, 20, Deut. XXII, 18, XXV, 2 seq.), quare Iudaei ob scrupulum, ne forte numerum excederent solebant 39 ictus infligere: alias vero flagellis loco virgarum in reum animadvertent praecipue in Synagogis, servato item ictuum numero 39: quinimo ut mitius agerent solebant flagello uti tribus loris constante, ita ut singuli ictus pro tribus valeret, et tresdecim ictibus poena absolveretur, ut referunt Talmudistae in Misna Tract. *Maccoth* cap. III. Paulus utrumque supplicium virgarum et flagellorum distinguit, postquam utrumque expertus fuisset, in celebri loco 2 Cor. XI, 24, 25 scribens: « *a Iudaeis quinque quadragenas una minus accepi; ter virgis caesus sum.* » Flagellatio haec a Iudaeis usitata, confundenda non est cum flagellatione Romanorum propria, multo immaniore, et nullo ictuum numero adstricta, qua Christus Dominus iussu Pilati animadversus fuit: ab hac civis Romani sive lege Porcia, sive consuetudine immunes erant (Cicero in Verrem Act. V, §§. 53, 54, et Or. pro Rabirio), quo nomine Paulus et Silas cum Philippis in Macedonia, populo adversus eos tumultuante, caesi fuissent, proclamantes se civis Romanos, magistratus coegerunt ut veniam ab eis peterent, et cum honore eos dimitterent (Act. XVI, 27-37).

Cum fustigatione coniungi potest aliud simile supplicium quod Graeci *tympanum* vcl *tympanimum* vocabant, de quo mentio fit

Hebr. XI, 35 inter veterum inistorum passiones: « Alii autem *dis-tenti sunt* » graece « *ἄλλοι δὲ ἐτραυματισθῆσαν* » et 2 Mach. VI, 19 in supplicio senis Eleazari. Erat autem tympanum species quaedam equulei, cui reus imponebatur, et alligabatur ut sustibus caederetur: plus minus ut nunc fit apud Turcas.

2° *Carceris poena* quamvis olim non ita frequens apud Hebraeos (1) posteriori tamen aetate passim infligebatur. Plerumque qui carceri damnabatur catenis vinciri solebat saepe ferreis, plerumque vero aeneis *קֶהֱשֵׁתִים*. Ieremias cum proximum Chaldaeorum adventum praediceret in carcerem coniectus est a principibus Iuda sub custodia Ionathan Scribae, qui vocatur *Praepositus super carcerem*. Deinceps vero iussu Sedeciae regis permissus est in vestibulo carceris manere Ier. XXXVII, 14-15, 20. Carcerum autem variae erant species, aliae pro levioribus criminibus, aliae pro gravioribus, ubi delinquentes sub arcta custodia et in tenebris detinebantur (Is. XXIV, 22, XLII, 7).

Debitores morosi in postrema epocha, ex more potius Romano quam Iudaico, carceribus includi poterant, donec debitum solverent, unde illud Matth. V, 25-26: « Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in *carcerem militaris*. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrante: » et etiam in Parabola debitorum Matth. XVIII, 23 seqq. servus ille conservum debitorem non solventem « *misit in carcerem donec redderet debitum.* » Ceterum in Lege adversus creditorum saevitiem quaedam decernuntur, nempe, 1° ne creditor debitoris domum ingrediatur ad debitum repetendum, vel pignus vi extorquendum, sed ante ostium expectet (Deut. XXIV, 10, 14, 6); 2° ne mola aut pallium, aut alia ad vitam necessaria in pignus tradita per noctem retineantur (Ex. XXII, 25-26, Deut. XXIV, 6, 12); 3° denique toto anno sabbatico debita exigi non poterant (Deut. XV, 4 seqq.). His vero exceptis, debitoris non solventis ager vel domus vendi

(1) In antiquioribus Libris saepe quidem de carcere fit mentio, sed plerumque cum de aliis gentibus agitur: ita Ioseph in Aegypto carcere inclusus fuit (Gen. XXXIX, 20), et reges captivi in carcerem detrusi dicuntur ut Osea a Rege Assyriorum (4 Reg. XVII, 4), Ioachaz a Necho rege Aegypti (ib. XXXIII, 33) et Sedecias a Nabuchodonosor (Ier. XXXIX, 7 seqq.).

poterat, et ipse quoque cum uxore et liberis in servitutem vendi (Prov. XXII, 27; XXXI, 16; Mich. II, 9). Si sponsor intercessisset, is ad solutionem iisdem modis cogebatur.

3° *Mulctae* aliae ipsa lege determinatae erant, aliae ad aestimationem arbitri imponebantur, aliae demum ad arbitrium laesi: omnes tamen in favorem laesi solvebantur. Exemplum mulctae primi generis habetur Ex. XXI, 32; Deut. XXII, 19 pro casu quo bos cornupeta servum interemisisset: dominus bovis qui damnum non impedivit solvere debebat domino servi 30 siclos. Exemplum alterius ordinis habetur Ex. XXI, 28-31, ubi ex iudicio arbitri, et mariti mulieris percussae mulcta solvenda erat. Exemplum tertii ordinis mulctae occurrit ib. 30 in casu quo bos cornupeta hominem liberum occidisset ex domini negligentia. Huc etiam referri potest poena furti aut alterius damni bonis proximi illati, quo in casu generatim res duplo resarcienda erat Ex. XXII, 3, 6, 8, in quibusdam vero casibus etiam quadruplo, vel quintuplo resarciendum erat, nempe cum ovis vel bos furto sublatus iam venditus vel mactatus fuisset Ex. XXII, 17. Si fur impar solvendo esset in servitutem vendebatur etiam cum uxore et liberis, si opus esset, ib. 3; 4 Reg. IV, 1. Erant etiam furta qualificata quae morte puniebantur, ut in solo casu furti circa rem Deo sacramentum per anathema *קֶרֶם* (Is. VII, 25): praeterea fur qui noctu parietem domus vel portam suffodiens inveniretur poterat impune occidi a domino (Ex. XXII, 2): secus autem si post ortum solis hoc tentasset (ib. 3).

4° *Poena talionis*. Hic modus puniendi reos, qui *ius talionis* dicitur, omnibus fere antiquis gentibus communis fuit, utpote qui hominibus deterrendis, et criminibus impediendis efficacissimus videretur. Licet autem a morum lenitate aliquantum abhorreat, de iniustitia tamen accusari non potest; quamvis decursu temporis, mitioribus effectis gentium moribus, sensim sine sensu transactionibus inter laedentem et laesum locus datus sit, ac demum omnia iudicis arbitrio relicta. Quod etiam apud Hebraeos factum est. Initio quidem lex talionis in sua cruditate proposita est Ex. XXI, 23-25: « Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore » cfr. etiam Lev. XXIV, 19-20.

Praeterea testis mendax talionis poenae subiacebat, eidem scilicet poenae quae debita fuisset crimini, de quo mendaciter deposuerat Deut. XIX, 16-19. Erga servos poena talionis dominos non afficiebat, sed tantum servum vel ancillam laesos dimittere tenebantur Ex. XXI, 26-27. Haec tamen decurrentibus aetatibus ita mitigata fuerunt ut in postrema saltem aetate transactio admitteretur, et reus praesertim data pecunia a poena talionis subeunda sese eximere posset.

§. III. De aliis diversi generis poenis.

1° *Sacrificium pro peccato* imponebatur pro violatione legum praesertim coereimonialium non plene deliberata, et quidem alia sacrificia exigebantur pro his transgressionibus quae in Lege vocantur חַטֹּאת *peccata*, alia vero pro iis quae appellantur אֲשָׁמוֹת *delicta*, quamvis huius distinctionis ratio non satis clara sit (Lev. IV et V; Num. XV, 27 seqq.). In casu delicti etiam confessio eiusdem coram sacerdotibus exigebatur, et praeterea in quibusdam casibus ad indemnitatem praeter victimam quinta pars pretii addenda erat (Lev. VI, 4-5; Num. V, 5-10). De his sacrificiis satis dictum est in Sectione I, cap. IV.

2° *Excommunicatio*. Saepe in Scripturis de peccatoribus quibusdam pronunciatu comminatio, vel sententia ut *excindantur de populo*. Quamvis autem non semper hoc intelligendum sit de excommunicationis poena, sed aliquando de poena mortis infligenda imprimis lapidatione (Lev. XVII, 4; XX, 10-18 etc.), dubium tamen non est aliquando veram excommunicationem seu privationem honorum aut iurium spiritualium, et separationem a fidelium communione inflictam sententiam fuisse; cuius rei exemplum occurrit 1 Esdr. X, 8, ubi Esdras ad coetum venire recusantem damnat honorum spoliatione, et excommunicatione: « auferetur universa substantia eius, et ipse abiicietur de coetu transmigrationis: » et in Evangelio Christus praedicit Apostolos suos hac poena multandos fore a Iudaeis Luc. VI, 22: « Beati eritis.... cum separaverint vos » et Io. XVI, 2: « Absque synagoga facient vos. » Praeterea Io. IX, 22 legitur: « Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. » Cfr. etiam XII, 42. Recentiores Iudaei tres species excommunica-

tionis distinguunt, quarum prima est levis, et vocatur נִדְדוּי *Niddui*, idest, separatio simplex a synagoga et consortio piorum, secunda gravior quae vocatur חֵרֶם *Hherem*, seu *anathema*, quae cum imprecationibus solemniter irrogatur, et secumfert plenam separationem a communione Iudaeorum, exceptis iis quae ad victum necessaria sunt, tertia gravissima quae vocatur שְׁמָטָה *Sciamata*, quae omnis prorsus communio cum Iudaeis interdicatur ac reus iudicio Dei relinquitur: vox ista formulam imprecationis solemnem continere videtur, et duabus vocibus constare שָׁם אֱתָא *Deus venit* (nam Rabbini שָׁם ponunt pro nomine *Dei*) atque ita conveniret cum *Maranata* מָרְן אֱתָא *Dominus noster venit*, quae formula utitur Paulus in anathemate pronuncians 1 Cor. XVI, 22. Idem Paulus hoc diro anathemate percussit incaestuosum Corinthium, illum *tollens de medio fidelium, et tradens Satanae in interitum carnis* (1 Cor. V, 2-5); quod etiam praestitit cum praevicatoribus in fidem Hymenaeo, et Alexandro 1 Tim. I, 19-20.

3° *Infamia*. Poena infamiae contra vivos in Lege Moysi non irrogatur, post mortem vero triplici modo inferitur; 1° lapidatorum cadavera in odium criminis comburenda erant, saltem ex consuetudine (Lev. XX, 14; XXI, 9). 2° Cadaver rei in arbore, vel stipite, seu cruce suspensum relinquebatur usque ad vesperam, et hoc in signum divinae maledictionis (Num. XXV, 4-5; Deut. XXI, 22-23). 3° Lapidum acervus in detestationis signum supra cadaver vel tumulum ubi supplicio affectus iacebat (Ios. VII, 25 seqq.; 2 Reg. XVIII, 17) erigebatur.

CAPUT III.

DE RE MILITARI HEBRAEORUM

In re amplissima ut ordini simul et brevitati consulamus, ceteris omissis, dicemus primo de ipsis militibus ac exercitu Hebraeorum, deinde de armis tum offensivis tum defensivis, ac de bellico apparatu, postremo de bello aliisque militaribus operationibus: simul vero obiter dicemus de re militari aliarum gentium cuius mentio in Scripturis occurrit.